



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

De Oratione Dominica.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

## De Oratione Dominica.

**D**Um hanc Sacerdos recitat, per 3<sup>ium</sup> modum orandi, quem explicavi in hac p. 30 c. 1. §. 1. cum Sacerdote eandem dicat audiens Missam; ad *ro Pater noster* excitando affectum amoris & fiducia. Christus in oratione in horro factâ dixit *Pater mi*. Eò quòd ipse solus sit Filius naturalis Dei. Nos verò dicimus *nostris*, eò quòd adoptione & gratiâ, quam per Sacrificium Missæ maximè impetrare possimus, multi filii Dei simus. *Qui es* ubique quidem, sed *in celis*, quo nos suspiramus, maximè ostendis gloriam tuam. *Sanctificetur nomen tuum*, ut qui in te ipso utpote immenso & infinito crescere non potes, in creaturis crescas, pluresque animæ te agnoscant, adorent, tibi que fideliter serviant. *Adveniat regnum tuum* in nobis expulso Dæmone & peccato. Et quoad hoc *fiat voluntas tua sicut in celo & in terra*, ut sicut beati eam faciunt in celo, sic homines adimpleant in terra. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, pro corpore alimentum, & in omnibus necessitatibus auxilium, pro anima panem scilicet verbi Dei, panem lacrymarum & pœnitentiæ Ps. 55. Panem Eucharisticum. Qui in Evang. quoque innuitur, dum loco horum verborum Matth. 6. *Panem nostrum quotidianum; dimitte nobis debita nostra*, culpæ, pœnæ, quantum toties & æternam & temporalem promeriti sumus,

mus. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*  
Benè examina, an hoc coram Deo omniscio  
corda & renes perscrutante in veritate dicere  
possis. Si non, Deum contra te ipsum provo-  
cas. Cùm petas, ut ità tibi ipsum toties offen-  
denti faciat, sicut tu iis, qui te offendunt. *Et*  
*ne nos inducas in tentationem.* Hâc petitione à  
Deo poscimus, ut, si ad nostri exercitationem  
& probationem nos diversimodè probari per-  
mittat, nos cadere non sinat, sed gratiam no-  
bis ad tentationem superandam largiatur. *Sed*  
*libera nos à malo.* Possunt etiam inter mala  
computari adversitates, sed propriè & in sensu  
strictiore unicè malum est peccatum. Quia om-  
ne in se bonum (ut apparet in Angelis ad tar-  
tara detrasis primis nostris Parentibus, & tot  
inde secutis calamitatibus à justitia divina in tem-  
pore & æternitate intentaris) corrumpit, nec  
tantum crucifixit D. N. J. C. sed & tantæ per se  
malitiæ est, ut quantum est in se, denuo eum  
crucifigat juxta Apostoli Pauli effatum. Cùm  
autem æterna damnatio sequatur in peccato  
mortali mortuum; & ab isto æterno malo libe-  
rati petimus velut filii adoptivi æterni Patris &  
confratres D. N. J. C. voce *Amen* ratificamus  
omnia, quæ petimus, & desiderium hæc à  
Deo impetrandi ostendimus.

*De Agnus Dei, Communionem, ejus diversis  
modis & fructibus.*

**P**etimus, ut misericorditer nobiscum agat  
Dei Filius & Agnus innocentissimus igno-  
scendo